



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

XLIX. Raptor duarum filium nutriens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

XLIX.

Raptor duarum filium nutriens.

LEX RAPTARUM. Quidam duas rapuit: productæ ad magistratus, altera nuptias, altera mortem petit. Magistratus humaniorem sententiam secuti sunt. Post factas nuptias, ¹ illa, quod virgo perpeffa est, quem conceperat, peperit. Exposuit raptor. suscepit, qui tunc erat maritus alienus, & alere cœpit. Reus est uxori, malæ tractationis.

PRO MARITO.

VENIT ad vos prava mulier, accusatura pietatem. infantem adhuc iussit feris, canibus, & diris alitibus exponi. Puto, patris similis apparuit, unde matrem tam graviter offendit. Nam qui potest expositum præterire? ignosce, non potui: tu me docueras, puella, misereri. ² de matre nihil meminit. ³ O gratum infantis errorem! te existimat matrem. Disce, infelix puer, natalium tuorum disce fortunam. Pariter nos ambos mulier affixit: & pariter factum ⁴ alia servavit.

L.

Vir fortis gladiator.

INFAMIS NON MILITET. Vir fortis in piratas incidit: rescripsit patri de redemptione, illo cessante, redemit eum lanista: & rudem ei in arena dedit. Reverso belli tempore denuntiat militiam imperator.

PRO VIRO FORTI.

OMNIA fieri posse credidi, cum me fortuna servum ex libero, & gladiatorem de viro forti fecisset. Imperator vobis ingerit militem, cujus operam non esse reipublicæ ne-

¹ *Illam quod virgo perpeffa est.]* Hæc quid sibi velint, non assequor. Res ipsa jubebat: illa, quæ mortem optaverat. Gronovius.

² *De matre nihil meminit.]* Immo memini. Quam crudelis illa erga me fuerit, oblitus sum: nec id in communi infante ulcisci possum. Idem.

³ *O gratum.]* Hic locus sic reponen-

duus videtur Neveleto meo, *O gratum infantis errorem! te existimat matrem: disce infelix puer natalium tuorum fatum, disce fortunam. Pariter nos ambos mater affixit, & pariter alia servavit, acute. Piib.*

⁴ *Alia servavit.]* Puto servabit. Sic loquitur mitius jam agens cum uxore, quasi sperans ultro remissuram. Gronov.